

TABVLA RECITATIONVM

IN
ACADEMIA LVDOVICIANA
PER SEMESTRE AESTIVVM

A DIE IV. MAII

CIDIOCCCLXXVIII.

IN CHOANDARVM.

RECTOR

ACADEMIAE LVDOVICIANAE

D. CHRISTOPH. LVDOV. NEBEL


CVM SENATV.

Permultis grauissimisque portentis, *Commilitones aestimatissimi*, regem *Latium* perterritum atque de AENEAEE aduentu admonitum postquam VIRGILIUS initio L. VII. AENEIDIS scite apteque finxit, eundem metu religionibusque adigi, vt oraculum consulat, egregie refert his verbis :

At rex sollicitus monstris oracula Fauni
Fatidici genitoris adit, lucosque sub alta
Consulit Albunea, nemorum quae maxima sacro
Fonte fonat, faeuamque exhalat Mephitim.
Hinc Italiae gentes & omnis Oenotria tellus
In dubiis responsa petunt; huc dona sacerdos
Cum tulit & caesarum ouium sub nocte silenti
Pellibus incubuit stratis somnosque petiuit.

Apud *Albuneam*, clarissimum fontem, nemo quidem *Mysis* sacrum, non autem *Fauni* cultum quandam peculiarem commentatores inuenerunt eo non contenti, quod *Fauno* siluae omnes sacrae fuerint. Quare CERDANVS, RYAEVS, alique eum locum illustrare aggressi ad *Tiburtes* nos transferunt parum ab *Albunea* remotos, ilicesque tres indicant ipsum vrbis conditorem vetustate superantes, sub quibus *Faunum* vaticinatum esse coniiciunt. Quum vero *Tiburis* conditor e *Graecia* in *Italiam* delatus, filiusque AMPHIARAI vatis clarissimi fuerit in bello *Thebano* mortui & inter coelites recepti, cuius oracula iisdem fere, qui hic describuntur, ritibus edita fuisse scimus: inde colligunt, AMPHIARAI oraculum *Tiburinum* a filio eius constitutum esse, quod, vt e *Græco Latino* redderetur, VIRGILIUS *Fauno* tribuerit. Quamquam recentissimus clarissimusque *Maronis* interpres V. C. HEYNE in animaduersionibus ad hunc locum *Tibur* sacra patris a *Tiburto* translata esse neget, quia commentitia sit omnis de *Tiburto* narratio: attamen tum propter notissimam hanc poetarum fabulam, tum propter doctrinae copiam, quam ostentare VIRGILIUS solet, assimilasse eum *Fauni* oraculum ad AMPHIARAI exemplar arbitratur. Verum enim vero quum domestica satis superque adessent exempla, peregrina poetae ante oculos versata esse vix crediderimus. Primo *Fauni* oracula toties a veteribus commemorantur, vt nonnulli ipsum *Fauni* nomen a *fundo* derinent. Quem potius adiret *Fauno* genitus *Latinus*, quam parentem, cui iam tum temporis poeta oracula tribuit, vt, quae postea exstiterent, vetustate sanctiora viderentur. Secundo prope *Albuneam* eiusmodi oraculum fuisse quanquam solo poetae testimonio sciamus, tamen aequè ex vetere memoria ac ex loci natura comminisci id VIRGILIVM potuisse HEYNIUS ipse concedit. Mos ille in templis pernoctandi, solo eorum aut pellibus victimarum *incubandi* vulgaris apud *Græcos* fuit, nec AMPHIARAI tantum sed & MOPSI oracula per somnum petebantur. Atat morem illum *Pelasyos* in *Latium* inferre potuisse HEYNIUS annotauit. Grauiissimum denique argumentum nobis visum est OVIDII testimonium, qui *Fastorum* IV, 650. lqq. regem *Numam* ritusque, quibus *Faunum* consuluit, copiose descripsit, v. c. *Ille dabat vacuis animo responsa quieto noctibus --- Scruitur in duro vellus vtrumque solo --- Veste rudi lectum super noua velle-ra corpus ponit ---* Quibus praemisissis non est, cur Vestrum, *Commilitones*, discendi ardorem pluribus verbis excitemus. Imperatores enim, explorata militum virtute, confisi, non longiori eos oratione morantur, verum, ceu SCHWERINIUS ille, arrepto signo exclamant: Sequimini fratres; *Kinder, Berg binas.*

LECTIO-



LECTIONES THEOLOGICAE.

D. IO. HERMANNVS BENNER, *Acad. Senior.* Vtrumque compendium suum, *dogmaticum & morale*, explicabit. *Historiam religionis & ecclesiae* e compendio *Schroeckhiano*, *Theologiam Casuisticam* e *Pfaffiano*, docebit. *Librorum symbolicorum* contenta, & iniqua in illos iudicia, ad editionem *Rechenbergianam* perlustrabit, horis X - XI, & post merid. IV - V.

D. IOH. GEORG. BECHTOLD, *Finitis*, quas sub initium semestris hiberni publice indicaverat, lectionibus singulis, per menses aestivos I. veritatem religionis Christianae praeunte Ven. LESSIO contra naturalistas, quos vocant, deistas & indifferentistas demonstrabit hora VIII, matutina II. b. HEILMANNI institutiones theolog. dogmaticae praeleget hora VIII. III. in interpretandis N. T. tabulis ad *epistolam Pauli utramque ad Thessalonicenses* progredietur hora XI. IIII. Denique eadem hora XI. bis vel ter per hebdomadam ductu *apologiae A. C.* auditores suos in theologia *polemica antipontificia* exercebit. Scholas, quas hactenus instituere consuevit, examinatorias continuatum iri, adiunctis, si desiderentur, disputationibus sive publicis sive privatis, non est, quod hic denuo repetat.

D. LVDOVICVS BENIAMIN OUVRIER. Hora VII - VIII. Theologiam moralem praeunte Lessio. IX - X. *Historiam Ecclesiast.* V. T. ad ductum Spanhemii. XI - XII. Theolog. dogmaticam docebit duce Danovio. Duas per hebdomadam horas, & quidem horam VII - VIII. diebus Mercurii & Saturni impendet institutionibus homileticis & catecheticis ad compendium suum.

LECTIONES IVRIDICAE.

D. IO. CHRISTOPH. KOCH *Institutiones* ex HEINECCIO hor. VIII - IX; *Ius criminale* ex Compendio suo hor. X - XI. & *Ius canonicum* ex BOEHMERO hor. XI - XII, explicabit. Ad alia quoque paratus, praesertim ad *disputatorium & examinatorium*.

D. CHRISTIANVS HARTMANNVS SAMVEL GATZERT Hor. VII - VIII *Ius feudale*, duce Boehmero; hor. VIII - IX. *Ius publicum* S. R. I. ad Pütterum; hor. XI - XII. *Ius Germanicum priuatum* ex Selchovio tradet ac Hor. III - IV. *Processum civilem* ad Carrachium docebit.

D. LVDOVICVS IVLIVS FRIDERICVS HOEPFNER. Hoc semestri ius digestorum ex *Boehmero* explicabit quotidie hora IX - X. & XI - XII. die Mercurii & Saturni adiuncturus horam I - II. pomeridianam. *Historiam iuris* enarrabit hora II - III. *Selchovio* duce.

D. HELVICVS BERNHARDVS IAVP. Hora VIII - IX. *Ius publicum Germ.* hora X - XI. *historiam imperii*, exponet. Hora XI - XII. alternis diebus *processum imperii & ius priuatum principum* docebit, ad alia quoque paratus.

LECTIONES MEDICAE.

D. IO. WILH. BAVMER, *Med. Prof. primar.* Hor. X. Medicinam forensem ad propria sua praecepta; sub prelo iam sudantia, singulis diebus profectis tradet. Flor. XI. Praelectiones suas in b. m. Dn. Io. Zach. Platneri artem medendi singulis morbis accomodatam de nouo auspicaturus, praecepta pathologico-therapeutica quotidie, nota Dominis Commilitonibus suis industria, tradet. Dominis Candidatis aegrotos visendi occasiones subministrare, haud cessabit.

FRID. AVGVSTVS CARTHEVSER, *Med. Prof. ord.* per semestre aestiuum hor. IX. - X. praelectiones botanicas instituet inque iis plantas horti academici, secundum systema Linnaeanum, demonstrabit. Diebus Saturni excursionés botanicas suscipiet.

D. CHRISTOP. LVDOV. NEBEL, *Med. Prof. Publ. Ord.* Chirurgiam in Platneri Institutiones hora VIII - IX. Pallas Practische Anleitung die Knochenkrankheiten zu heilen hora XI. - XII. & denique Artem obstetricalem in Steinii Compendium hor. III - IV. explanabit. Ad praelectiones in materiam medicam Spielmanno duce quoque paratus.

D. IO. LVD. FRID. DIETZ, *Med. Prof. Ord.* Instante semestri aestiuo singulis diebus, excepto Die Saturni Physiologiam praeunte Hallero, Hor. VII - VIII. matutina docebit. Hor. IX - X. Die Lunae & Martis Osteologiam & Myologiam duce Plenckio explicabit.

LECTIONES PHILOSOPHICAE.

ANDREAS BOEHM, *Log. Metaph. & Mathem. Prof. Publ. Prim.* Diebus lunae, martis, iouis & veneris h. VII. matutina *logicam*; eadem hora diebus mercurii & saturni vt & h. VIII. singulis diebus profectis *metaphysicam* ad ductum compendiorum a se editorum; singulis iterum diebus operariis, excepto die saturni, h. II. *mathesin puram*, h. I. *mathesin applicatam*, tradet, praeunte b. C. Wolfio im Auszuge aus den Anfangs-Gründen der Mathematik, docebit. Collegium priuatissimum *algebraicum* absoluet. Bibliothecam publicam tempore consueto aperiet.

FRID. AVGVSTVS CARTHEVSER, *Philosoph. natural. Prof. ord.* Hor. VIII. - IX. Elementa Physices, substrato compendio Cel. Bernardi Grant, exponet, ac potiora dogmata huius scientiae experimentis illustrabit.

IOH. CHRISTOPH. FRIED. SCHVLZ, *LL. Or. & Gr. P. P. O.* Priuatim Iohannis Euangelium ad contextum graecum interpretabitur hor. X. Theologiam moralem praecipiet hor. IX. Historiam ecclesiasticam antiquiorem ex *Walchio* exponet hor. III. Antiquitates hebraicas ad *Ikenium* offert hora commoda. Publice linguam anglicanam docebit hor. I. d. σ & β .

D. CHRISTIANVS HENRICVS SCHMID, *Prof. Poeseos & Eloquentiae.* Publice diebus Lunae, Martis, Iouis & Veneris Hora VII. - VIII. *Tibulli* carmina illustrabit; Priuatim Hora III. - IV. diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iouis, Veneris & Saturni *notitiam librorum cuius studioso utilissimorum* duce S. R. *Millero* tradet; denique Hora IV. - V. diebus Lunae, Martis, Mercurii & Iouis *praecepta eloquentiae ex Ernesti* initiis ita tradet, vt *styli Germanici* potissimum rationem habeat, & diem Veneris limandis elaborationibus vernaculis auditorum destinet.

ERICVS CHRISTIANVS KLEVESAHL, *Moral. Iuris Nat. & Gen. P. P. O.* Hora IX. - X. Ius Naturae, sociale & Gentium *DARIESIO* duce, Hor. III. - IV. Diebus Lunae, Martis, Iouis, Veneris, *Philosophiam practicam vniuersalem & Disciplinam moralem* praeunte *FEDERO*, eademque Hora, diebus reliquis, *Ius ecclesiasticum* V. docebit. Praelectiones in *Theologiam catechetica, Pastoralis, & Exercitationes concionandi* Commilitonibus Horis sibi met ipsis eligendis offert.

HENR. MART. GODOFR. KOESTER, *Historiarum P. P. O.* Hora VII. Historiam *Statuum Europae*, hora VIII. Historiam *Vniuersalem*, vtramque ad Compendia propria, hora XI. Historiam *ecclesiasticam* ad Comp. Moshemianum docebit, ad Praelectiones in *Statisticam* vel *Heraldicam*, Historiam *literariam*, vel Historiam siue *Imperii Germanici*, siue *Procerum Imperii*, aequè paratus.

LECTIONES OECONOMICAE.

IO. AVGVSTVS SCHLETTWEIN hor. matut. VII - VIII., *notitiam Europae politicam* (die Statistick) duce Achenwallio; hor. VIII - IX. *oconomiam forestalem* secundum Succouii principia; hor. X - XI. *Scientiam comerciorum & monetandi politicam*, & hor. XI - XII. *Oconomiam politicam* secundum proprium systema docebit.

D. IO. WILH. BAYMER, *Mineralogiae & Chemiae Prof.* Hor. IX. diebus *D. & V.* & *Qis* naturae curiosos Mineralogiam, ad sua praecepta typis prostantia, atque ex selecto suo rerum naturalium apparatu has ipsas oculis subiiciet. Eadem hora diebus *Xi* atque *Vni* Hydrologiam, experientiis physicis nixam, tradet. Temporibus praeterea commodis subseciua itinera, Physicae subterraneae subtilius excolendae destinata, suscipere, haud tergiuersabitur. Licet semestri hiberno processus chemici rectius seruentur; attamen, coelo temperato fauente, docimasticos in laboratorio suo instituire, haud negliget.

FRID. AVG. CARTHEVSER, Botanicam Oeconomicam, duce Cel. Suckow, hor. XI. - XII. diebus Lunae & Iouis tradet.

ANDREAS BOEHM *Architecturam ciuilem* in usum eorum, qui studiis oeconomicis incumbunt, tradet.

D. IO. LVD. ERID. DIETZ, Medicinam Veterinariam Die Mercurii Iouis, & Veneris Hor. IX - X. exponet.

IOH. PHIL. BREIDENSTEIN, *Oeconomiae rusticae & rei calculatoriae P. P. O.* Hora IX. Oeconomiam rusticam, III. urbanam, praeeunte Celeberr. Souckovio; Rem denique calculatorem. Hora V. aut ad ductum Clariss. Wiedeburgii, aut ex suis, quas scribere coepit Theisibus, explanabit.

GEORG. FRID. WERNER, Geometriae practicae partem, quae perficiendas delineationes ichnographicas spectat bis de hebdomade die Iouis ac Veneris hora Auditoribus comoda tradet; reliquas vero operationes in campis ipsis peragendas die Saturni demonstrabit. In Architectura militari; Pyrotechnia & arte delineandi operas suas desiderantibus non deerit.

LECTIONES EXTRAORDINARIAE.

IOANN. CHRISTIAN. DIETZ, *SS. Theol. Prof. publ. extraordinar.* Theologiam *polemicam* Hora X. matutina, ductu compendii Baumgarteniani; nec non *catecheticam*, sacrarum litterarum studiosis apprime necessariam, Hora XI. circa meridiem, in libellum Rambachianum, qui *carechet. bene instructus*, inscribitur, docebit; linguarum quoque sanctiorum notitiam cupientibus, hora III. pomeridiana, suppeditaturus.



Praeter ista Generosissimis Nobilissimisque Ciuibus de luculenta equitandi, pugnandi gladio *salsandique* palaestra, *Gallicae* item & *Italicae* linguae scholis, per magistros earum peritissimos, publice constitutos, abunde prospectum est.